


05  
A  
1347



## DISCUSSIONUM PHYSICARUM

SPECIALIUM

Exercitatio VII.

*De*

## IGNE ET AERE.

*Quam*CHRISTO JUVANTE  
SUB PRÆSIDIO

M. HIERONIMI VV EIXELBERGERI

VVelsensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.

Philosophicæ in Electorali VVitteb.

Academiâ Adjuncti,

*Examinandam proponit*BAL THASAR MECHELIUS Jutrebocensis  
Saxo.*Add. 24. Maij.*

35(5)

WITTEBERGÆ,

E Typographeo Johannis Gormanni.

ANNO M. DC. XVII.



V I R I S

Amplissimis, Prudentissi-  
mis atque spectatissimis,

Dn. CASPARO LANGIO, Consuli Reip.  
Jutrebocensis meritissimo,

UT ET

Dn. VALENTINO PILICHO, Syndico  
Reipub. ejusdem ut fidelissimo ita dignissimo,

NEC NON

Dn. GOTTHARDO Cernow/assessori Sca-  
binatus Jutrebocensis solertissimo.



Musarum patronis, nunquam non  
suspiciendis, Dnis. Mecœnatibus  
ac Tutoribus suis æternum co-  
lendis,

OS A 1347

Hanc Αγίας Φυσικήν debitè  
observantæ ergò lubens me-  
ritosq; inscribit ac offert

Balthasar Mechelius Iutrebocen-  
sis Saxo Auth. Respo



Σὺν τῷ Θεῷ

## CONTINUATIO.

**M**odum procedendi in disciplinārum tractatione ipse met̄ divinus præceptor ostendit l.i. *πᾶς τὸς ἀνθρώπων εἰ. I.* §.4. Oportet ex universalibus ad singulāria procedere. Eapropter præmissa generali elementorum indolis declaratione, recta methodo ad singulas eorundem species accessum facimus. In præsenti verò *συγκῆτες* ad ignis & aeris naturam investigandam nos accingimus: Quod ut benē cedat, veritatemque assequamur, faxit veritatis & naturæ ipsius auctor augustissimus, Jehova in æternitates laudandus.

## QUAE STIO I.

*An detur ignis elementaris?*

**A**rdanus, Timplerus, Casmannus & alij in perniciem ignis elementaris jurārunt, eum ex elementorum numero relegando. *Timpl. l.3. Apsych. de elem. c. 2. probl. 1. inquit: Ignis non est elementum sive superiorem illum spe-ctes, quem supra aerem Lunæ subjectum somniant, sive in-feriorem illum quo in foco nostro utimur.* Prior namq; est merum figimen-tum hominum, neq; vel ex scriptura, vel ex sano sensu vel ex recta ratio-ne convinci ac demonstrari potest quod revera in mundo existat. Bona- verba quæso. Quid sic vnum assertum sanioris philosophie cul-tores negarent contrariumque probarent. Initio neinini inco-gnatum esse, qui vel unicam tantum in Peripatu deambulatio-

nem confecit, arbitror, quod semper Peripatetici accuratè inter  
ignem elementarem & nostrum sōcialem distinguere iusseront, illumq;  
pro elemento acceperant, istum verò minimè. Deinde quod at-  
tinget ignem elementarem ex sacris literis non posse probari; Esto.  
Propterea nō verò statim ignis negandus? Hac ratione sanè plu-  
rima quæ sunt in hac rerum universitate, & quorum tamen nul-  
la expressa mentio in sacris habetur nomine  $\mu\eta\alpha\tau\omega\zeta$  notanda es-  
sent. Quorsum lingua vadis? Porrò sensus judicium quod spe-  
ctat, respondeamus verbis Iulij Scal. ex exerc. 25. f. 2. Nihil à subtilitate  
magis alienum, quam exempla & inductiones quæ sensuum munimento  
sufficiuntur: Etenim optima ac subtilissima quæque rerum, aut fu-  
giant aut fallunt sensum. Rectam rationem si consulerimus,  
firma nobis suppeditabit fundamenta, quibus ignem elementa-  
rem probatum dare possumus. Sufficiat ex multis unicūm  
istud. Omnis qualitas prima habet aliquod subjectum primum cui inest.  
Scal. exerc. 10. Calor summus est qualitas prima. Ergo habet aliquod  
subjectum cui inest. Inerit ergo aut corpori mixto aut simplici. Non  
mixto. Quia qualitates summae interventu mixtionis sunt fractæ.  
Non simplici. Aut enim cælo, aut reliquo elementis. Non cælo. Cœ-  
lum enim & sidera non sunt subjectivæ per affectum, sed effecti-  
væ. Non elementis. Aut enim aeri aut aquæ aut terre. Non aeri. Cum  
summa enim humiditate summa caliditas combinari nequit.  
Non aquæ. Aquæ enim cum sit frigidissima calor summus com-  
petere non potest. Non terra. Quia hoc elementum ab exter-  
no agente calefit, quo absente vicissim ad frigiditatem redit.  
Antequam hinc ad reliqua abeo in gratiam Timpleri, locum ignis  
deridentis, hæc ex Scal. exerc. 9. huc transcribere placet. Minus  
quoq; benè philosophum reprehendis, quod ignem statuerit in orbis Luna cono-  
cavo: Et temerè irrides ejus demonstrationem. Hac enim sunt principia  
illius demonstrationis. Corpus naturale. Motus. Locus. Ex ijs ita confi-  
ciuntur propositiones certe, vera, prima, immediate, causa conclusionis hujus.  
Ignis locus est in supremo spatio sub Luna supra ae-  
rem. Omne mobile est corpus, omnis ignis est mobilis.  
omne corpus est in spacio, ignis est corpus. Totidem  
tertio.

tertio. Omne mobile movetur ad suum spatum. Duæ postremæ quibus totum conficitur. Omne spatum, ad quod movetur corpus naturale est suum corporis illius. Ignis sursum movetur naturaliter. Cætera quæ *Tiplerus* affert cum maxima ex parte ab alijs sint confutata silentio præterimus, & si qua restant conflictui reservanda ducimus.

## QUAESTIO II.

*An solus ignis habeat facultatem urendi &  
quidem semper?*

Affirmativam hujus quæstionis qui negatum it, in ingenuo conjiciendus est, ut suam negativam suo exemplo demonstret. Dantur quidem alia quæ vim urendi habent, sed illa vel *čxpiās* illam urendi potestatem non possident, vel tantummodo adventicio calore gaudent. Solus *v. ignis* subjectivè calidus est relativa potesta urendi longè superat. Quæstionis itaque affirmativa *xv*. *Phiōn* subscribimus. Interea verò *Tiplero* minime consenserimus, qui statuit, quod longè absurdum sit asseverare, ignem quandoquod miraculose facultatem urendi deponere salva manente essentia *ipsius*. *I.2. Aps. de elem. c. i. prob. 5.* Deo enim qui plura *δως* *Phiōn* præstare potest, limites ejusmodi non præscribendi sunt, cum expressa scriptura dicta extent, quibus restatur, se velle etiam in medio ignis piis abstiunctiones ractos servare, *Esa. 43. v. 2.* & testimonia id præstissime & divina & humana. Nec est quod metuat *Tiplerus* essentiae destructionem facultate urendi deposita, nam propria non sunt ipsum subjectum, sed realiter à subjecto distinguuntur, ut per absolutam Dei potentiam omnino separari possint. Cujus rei ulteriore & plenior explicationem quæras apud Reverend. & Clariss. Dn. D. Meiss.  
*parte i. phil. Job. I. 1. c. 1.*

Quæst.

## QUÆSTIO III.

*An ignis noster focalis, vel usualis sit elementum?*

Thomas afferente Collegio Conimbr. l. 3. de cœlo c. 5. q. 1. art. 2. omnes ignes, sive in loco superiori sub concavo Lunæ, sive inferiore ejusdem speciei esse afferuit. Quam assertionem plurimi etiam Peripatetici sequuntur. Si vero res rectè rationis lance pensetur, prædictam sententiam consistere non posse, planum erit. Constat n. ex philosophorum afferione diversos effectus vel propria arguere etiam formas diversas. Jam & illud claret quod ignis elementaris sit pellucidus, Diaconicus v. lucidus. Elementaris invisibilis. Focalis visibilis. Ille res omnes constituit. Hic assumit & omnes perdit. Ille non indiget pabulo. Hic indiger. Ille constitutus est supra aerem. Hic nullam certam habet sedem. Quibus ita positis concludimus, ignem nostrum usualem elementum non esse.

## QUÆSTIO IV.

*Cur ignis minus ab aqua marina, quam ab alia extinguatur?*

Reliqui fontes & flumina ejusmodi exhalationibus terribus siccis & adustis atque mare, non constant. Etenim ex fundo maris plurimi vapores terrestres egrediuntur superficie que maris petunt, qui cum altius assurgere nequeunt à calore Solis aduruntur. Hinc aqua marina & crassior & siccior redditur. Inest quoque aliqua pinguedo ipsi mari. Ideoque duæ iste causæ siccitas, & pinguedo maris efficiunt, quo minus ignem extinguere possit. Docent enim quotidiana exempla, quod si vel oleum, vel adipem ligno admoveris, ignem magis magisque augeri, flammæque vehementiores emittere. Experimur etiam & hoc, quod siccum vel aridum lignum magis & velocius accendatur uratque, quam vel viride vel madidum. Cum igitur

in re

in reliquis fluminibus major sit frigiditas & minor pinguedo atque in mari sit, ut etiam citius ignem extinguant. Quia penitus penetrant, porosque latiores faciunt & somites, quibus ignis conseruitur, melius tollunt. Nec sequitur, licet juxta Eccles. diarium omnia flumina e mari deriventur, quod statim omnibus qualitatibus aquæ marinæ prædictæ sint; Etenim, dum per varios & angustissimos terræ meatus fluunt & percolantur, sit, ut & amaritudinem & pinguedinem amittant: Cùm & in littoribus Africæ juxta mare ex scrobe facta plores hauriantur aquæ. Plini. l.2.c.103. Sed aqua missa facienda & aeris natura indaganda.

## QUAESTIO V.

*Quid sit aer?*

Lambertus Daneus tract. 2.c 9. de expansione, post relegationem ignis elementaris querit an ista expansio quæ secunda die facta est, sit receptaculum aeris; Ad quam questionem sic responderet Aer sit, nec ne queri potest, qualem Philosophi statuunt; Et addit: Scriptura nusquam aeris ab aquæ natura diversi distincti elementi mentionem facit. Et ut ex sequentibus tribus hypothesis liquet, aerem tanquam tertium elementum, cuius natura ab aqua sit distincta, non vult concedere, sed aerem vulgo ita dictum nibil aliud esse concludit, quam aquam subtiliorem & luce illustratam. Timplerius simpliciter aerem è numero elementorum sequestrat cælumq; esse fabulatur. l.3. Apsych. de elem. c. 2. probl. i. Nos vero cum sanioris philosophiarum cultoribus statuimus aerem revera elementum ab aqua & cœlo distinctum esse, firmissima ratione moti sc. humiditate summa quæ primum aliquod subjectum requirit, cui præter aerem nullum aliud adscribi posse conflictus monstrabit. Idèo ut proprius ad rem accessum faciamus, definimus aerem,

rem, elementum moderatè calidum & humidissimum, comprens omnem locum nullo alio corpore repletum ex Arist. l. 2. de gen. c. 3. singula definitionis membra paucis sunt illustranda & probanda. Elementum dicimus aerem esse ex definitione elementi ab Aristotele tradita; l. 3. de cælo §. 31. calidum est elementum, non verò calidissimum, quod Cardanus affingit Peripateticis, ad quod satis luculent Scal. ex 10. Nec est, quod nobis aliquis objiciat, Aerem esse frigidum, quia media aeris regio frigida est, jam verò qua natura partis ea etiam est totius; Largimur enim medium aeris regionem esse frigidam sed per accidens & ob caussas circumstantes & frigiditatem causantes. Ibi enim hærent corpora crassiora frigida; videlicet nubes & alia materia aerea frigida; ubi nubes ibi aqua, ubi aqua ibi frigus. Neque aerem frigidum ex natura sua constituet hyems. Quia res non statim judicanda ex eo quod semel est, sed quod semper. Qui verò sit quod in hypocausto calefacto etiam manè ejusmodi frigus non sentiatur, atque extra illud? Certe nulla alia causa dari poterit quam aer calefactus. Huius midissimum esse probatur 1. Ex summa qualitate, quæ cuilibet elemento, iuest Arist. l. 2. de gen. C. 3. 2. Quia difficulter suo termiuo, facile alieno coercetur. Quia cum sit tenuis per cuncta est permeabilis. Contra infundunt alij:

Quod magis humectat illud etiam magis humidum est. Aqua magis humectat corpora quam aer.

E. Aqua magis est humida atque aer. Resp. ad Major:

Quod in eo committatur fallacia causa. Quia quod aqua magis humectet est ex accidente, scilicet propter crassiorem substantiam. Humiditas enim aquæ in densione materia hæret, ideoque magis unita est & efficacior ad humectandum. Secundò humiditas non est estiman-

stimanda ex interrogatione sed ex propria definitione, quia humidum illud dicitur, quod difficulter termino suo, facile autem alieno clauditur. Velo. l. 2. Com. phis. c. 22. pag. 214. Dispescitur porro aer in tres regiones in supremam medium & infimam. Suprema est sub concavo ignis & usque ad summitates montium se extendere potatur. Media est illa quae suam premam & infimam interjacet. Infima est, quae eō usque protenditur quo usque radij solares à terra reflexi descendunt.

## QUÆSTIO VI.

*An aer sit calidus.*

Ne à Scopo questionis aberremus prius determinandum est, quod hoc loco consideremus caliditatem illā, quae in corpore aliquo beneficio caloris cœli vel motu effici possit, sed illam, quam ex sua natura & indole quidpiam habeat. Ideoquæ affirmativam hanc tenemus, aerem in se esse calidum. Momenta probationum damus isthac: 1. de summa à raritate. Quia omne rerum est calidum, hinc quando aer magis atque magis rareficitur progignitur ignis, 2. à levitate. Quia levitas ut plurimum à calore oritur, 3. à causa efficiente: Res producta in univoca generatione est ejusdem naturæ cum efficiente vel procreante. Jam verò aer à calore producitur Arist. i. Met. c. 4. Quæ contra pro frigiditate aeris nativa adducuntur fundamenta, partim in præcedente questione vidimus & discussimus, partim verò οὐ γνωμός conservanda ducimus.

## QUÆSTIO VII.

*An aeris quedam dentur utilitates.*

Aeris utilitates contra aeris expugnatores assimamus. Ex vero vel sunt generales, vel *speciales*, generales 1. Quod conferat ad constitutionem hujus universi ne vacuum detur in mundo. 2. Admixti constitutionem concutit. *Speciales* 1. Corpora generata

B & im-

& imprimis ἐμψυχα attractus vel allatus fervore & stus tempe-  
rato quasi refrigerat, & animat. 2. Inservit spirituum generatio-  
ni. 3. Hujus medio & beneficio audimus, sentimus. Plura qui-  
dem de praesenti quæstione dici possent, sed instituti nostri ratio-  
nos breviores jubet.

## Dubia?

I.

*An nō urere & non urere, ignis sunt accidentia.*

II.

*Cur flamma ignis in pyramidalem figuram assur-  
gat?*

III.

*Cur ignis sole expositus sapè extinguitur?*

IV.

*Ignis qui sit per attritionem chalybis & silicis, sit nē in  
chalybe, vel silice?*

V.

*Cur fumus ascendat sursum!*

VI.

*An actus primus igni in fornace Babylonica fuerit  
ademptus!*

VII.

*An detur ignis quod in aquam injectus validius urat?*

VIII.

*An aer sit objectum visus?*

IX.

*Cur uno ore & calidum & frigidum efflare posimus?*

X.

*An detur aer purus.*

Ad



*Ad*

## Dn. Respondentem, Popularem & amicum singularem!



*Uicupit Aonidum celebris spectarier arie  
Hunc multum studius iuvilasse juvat.  
Namque dey vendunt homini sua dona labore  
Assiduo, quem dant vota precesque rata,  
Ergo tuum studiū laudē applausumque meretur,  
Dum iuquiris Phoebus abdita mente tua.  
Perge ut cœpisti: Conatibus annuat ipse  
Omnis natura fons, & origo boni.*

M. Andreas Bergeman Jutrebo-  
censis, Wittebergaabiturus  
relinquebat.

---

### ALIUD.

L Argae naturae studiosè inquirere mira.  
Est opus atque labor nobilis ingenij.  
Ex istis quoniam sapientia noscitur hujus,  
Ec cuius pendent cuncta creata manu.  
Exemplo est nobis ignis contrarius undis,  
Multi Philosophi quem tamen esse negant.  
Sed si non rutilans existeret ignis in orbe,  
Ordo naturae vix foret immobilis.

Cor-

Corporis ut artus non lədant fervidus æstus,  
Nec non asperitas frigoris, ignis adest.  
Exta veru longo quando transjecta parantur;  
Ignem non cernis, cum tamen urit ea.  
Sic etiam fumus summi fastigia tecti  
Ascensu superans, cingitur igne vago.  
Major cura Dei lustratur in aere, cunctis  
Qui præbet vivis, ut sua tempora agant.  
Gratulor ex animo, quod, dilectissime amice;  
Aeris explores mulciberisque physin.:  
Pergito, eris quondam patriæ sic ornamentum  
Atque tui laudem nominis inde feres.

*In amicitia intemerata*

*signm f.*

Balthasar Lunacus Lucco  
Waldensis Saxo.



05 A 1347

ULB Halle  
003 781 02X

3



Komz




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-591030-p0016-1

DFG

8



DISCUSSIONUM PHYSICARUM  
SPECIALIUM  
*Exercitatio VII.*  
*De*  
**IGNE ET AERE.**  
*Quam*  
CHRISTO JUVANTE  
*SUB PRÆSIDIO*  
**M.HIERONIMI VVEXELBERGERI**  
VVelsensis Austriaci, Amplissimæ Facultat.  
Philosophicæ in Electorali VVitteb.  
Academiâ Adjuncti,

*Examinandam proponit*  
**BALTHASAR MECHELIUS** Jutrebocensis  
Saxo.

*Add. 24. Maij.*

SS(:)SS

---

*WITTEBERGÆ,*  
**E Typographeo Johannis Gormanni.**  
ANNO M. DC. XVII.